hic tenebras vitiorum amaverunt. et ad lucem christi venire noluerunt: ideo horridis
tenebris ibi cruciabuntur. Unde in psalmo. In eternum non videbit lumen. Et quia hic peccata
confiteri despexerunt que facere non erubuerunt: ideo omnibus ibi nudis et apertis perpetuo confundentur.
Et quia bona hic videre et audire dedignabantur: iuste ibi terribili visu et miserabili
auditu replebuntur. Et quia hic in singulis vitiis erant diffluxi: iuste ibi
erunt per singula membra cathenis constricti. et de his legitur in apocalypsi. Optabunt
mori et fugiet mors ab eis. D. Qualiter sunt ibi positi? M. capita sunt eis deor-
sum posita. dorsa ad invicem versa. pedes sursum erecti. et undique in penis di-
stenti. Diabolus autem tunc et sua membra ista patientur. Membra autem eius sunt superbi.
invidi, fraudulenti perfidi. gulosi. ebriosi. luxuriosi. homicide crudeles. fures. predones.
latrones. immundi. avari. adulteri. fornicatores. mendaces. periuri. blasphemi.
malefici. detractores. discordes. simoniaci. et omnis qui odium gerit in corde
contra proximum. Primum fuit superbia cum deo equalis esse voluit. et ideo factus est
omnium infimus cum esset omnium prelatus. Unde ysidorus. Immundus est coram deo omnis qui exal-
tat cor suum. Secundum inobedientia extitit. cum mandatum preterivit. et ideo
facta sunt ei omnia inobedientia que prius erant sibi obedientia. Unde in libro regum. Quasi
scelus ariolandi est nolle obedire. Tertium avaricia erat cum plus quam concessum erat
concupivit. et ideo omnia concessa iuste amisit. Unde paulus. Avaricia est ydolorum servitus. peccata primi hominis
Quartum fuit sacrilegium cum vetitum in sacro loco quasi per furtum subripuit. et ideo de
sacrario excludi meruit. Unde propheta. Qui prophanat sancta a sanctis exterminabitur. Quin-
tum fuit spiritualis fornicatio. anima enim illi erat deo coniuncta. sed cum spreto deo diabolum ad-
misit: qui cum extraneo adulterium commisit. et ideo veri sponsi amiciciam amisit. Unde David.
Perdes omnes qui fornicantur abs te. Sextum homicidium peregit. quia se et omne genus
humanum in mortem precipitavit. de hoc dicitur. Qui occidit morte morietur. morte
scilicet eterna. Unde et in interiori homine mox est mortuus et iacuit in sepulchro cor-
pore positus.

Disputacio inter cor et oculum

Ubi sequax cordis et oculi non sentit in se iurgia. non novit que sit stimuli que culpe se-
minaria. tamen nescit pericli causam alternantur convicia. cum peccatores et emuli replicant
in se vitia. Cor sic affatur oculum. Tu peccati principium. tu fomitem tu stimulum. tu
mortis vocas nuntium. tu domus mee ianitor hostis non claudis hostium. famili-
aris proditor admittis adversarium. Cordi respondet oculus. immerito de me quereris. ser-
vus sum tibi et sedulus. exequor quicquid iusseris. nonne tu me precipis. sic et iubes ceteris. non
ego tu te decipis. nuntius sum quo miseris. Nonne fenestra diceris qua mors intrat
ad animam. nonne quod vides sequeris. ut bos ductus ad victimam. cur non saltem quas inge-
ris sordes lavas per lacrimam. aut quare non erueris [illegible] animam. Addo quod
nullo pulice quamvis immitam polluerit nullum malum te ledere potest nisi consenseris. de cor-
de mala procedunt. iniectum michi pateris. virtutes non interimit nisi culpam commiseris.
Cum sic uterque disputat solutio paris oculo cordi litem amputat diffinitio valet oculo. te-
nus uterque reputatur. sed non pari periculo. nam cordi tamen imputat occasionem oculo.